DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XVII. FEBRVARII.

M. RENATO MOREAV Professore Regio Doctore Medico, Præside.

An omnes Febres quæ intermittunt, securæ periculi? 994.

PLERÆQVE febrium ex perniciosarum genere securæ sunt & salutares lenitate putredinis, placiditate symptomatum, & viscerum εὐτονίᾳ; quædam è numero benignarum capitales, eiusdem putredinis malignitate, accessione & propagatione accidentium, nobiliumque partium ἀῤῥωστίᾳ. Periculosæ Συνεχεῖς & Σύνοχοι, quarum putredo visceribus, aut venis, arteriisque maioribus concepta cor continenter inficit & incendit, à quo in omne corpus vstulator ignis deriuatur. Earum species innumeræ ferè ad exitium humani generis natæ totidem faciunt morbos, quot symptomata. Grauissimæ omnium Pestilentes à Malignis distinctæ præclarâ quâdam & excellenti putredine, sordidâ & contagiosâ, sed non venenatâ. His accedunt proximè Ardentes ipso incendio funestæ maximè cum aluus profusè fertur. Quæ ex Intermittentibus fiunt Assiduæ, quæ tertio quoque die intenduntur Tritæophyæ & Hemitritæi monstra febrium; & ipsæ putrentis sanguinis soboles Synochi non sunt securæ periculi.

EX Putridis securissimæ quæ Intermittunt, ob focum quem habent in habitu corporis, aut in prima eius regione procul à corde remotum. Dum etiam inducias nobiscum paciscuntur, & aliquot horis expirant, reparandis viribus dant locum: donec rursus excitentur, ruptoque quasi fœdere instaurent prælium, repetantque sæpè breuioribus longioribus interuallis, æstus instar marini magno naturæ miraculo, sed non inexplicabili. Inuasionis tempus definitur à varia putrentis excrementi, & naturæ in illius coctionem, excretionemque incumbentis conditione, non à syderum χηματισμῷ, humorisue putrentis idiotropia. Cum suam seruant εὐήθειαι, & inoffenso cursu placidè suam absoluunt historiam, optatissimo fine conquiescunt, venæ sectione præsertim aliquoties repetitâ, & benigniore catharsi diebus intermissionis, & inclinantibus paroxysmis exhibitâ oppugnatæ. Qui temerè & arroganter eas arcanis pulueribus, & extractis, ἀποτροπαίοις, superstitiosis carminibus expugnare recipiunt, magnificè mentiuntur.

AT interdum vt dulci sub melle venena, sic blando illo lenocinio incautos egregiè fallunt. Longâ & validâ concussione Lethargi, ferinæ destillationis & grauiorum symptomatum propagationem faciunt. Adeò fragilis viscerum textura est & laxa compages, vt vitium & labem accipiant. Quidquid ingeritur alimenti abit in corruptelam, quæ subindè noua febri semina ministrat, & ex vnâ plures accendit. Non rarò praua Cacochymia spontè, vel ante tempus irritata, & è latibulis suis propagata per διάχυσιν in grandiores vasorum tubulos periculosam continuam parit. Nonnunquam calore febrili inflammatus & exstimulatus humor desultoriâ leuitate volat in cerebrum & in pulmones quos labefactat. Immane quantum turbarum mouet succus ille μοχθηρός alui carceribus conclusus, instar Belluæ, circum claustra fremens, Inflammationes systrophicas, Dysenterias, Colicos cruciatus penè implacabiles, & ijs succedentes Conuulsiones, aut Paralyses creat. Plerumque sedatæ febres visceribus nec extersis, nec restitutis postliminio reuiuiscunt, & ægros præcipitant in Ictericas Hydropicas & Tabidas affectiones.

INTERPOLATARVM princeps Quartana cæterarum securissima, & longissima, nulli ætati & sexui parcit, aliàs exoptanda, vt Epilepsiæ vindex, viscerumque nutritiorum repurgatrix. Nocturna tamen & Hyberna amant in Acutam transire tardioris spei quàm metus. Quæ ab adusta Bile est, metuenda plurimùm cùm igne suo tabifico, tùm ne affinem cancro inurat labem Lieni grandiori-duriori, & interdùm luxato. Acutarum & Chronicarum succedanea, acerbitate suâ exoluit quicquam superest roboris partium nutritioni famulantium; sic vt sero quâuis arte foràs profuso, nihilo seciùs diffluat totum corpus aquosâ illuuie. Valida quorumdam hominum viscera Querqueram multorum annorum sustinent, aliorum vt Senum dissoluta luctari cum eâ diù non valent; sed nihil quoque tàm firmum est, cui periculum non sit etiam ab inualido. Serpit vitium in mentem, decumbit in corpus, ex venis & arteriis excurrit in neruos. Theriacâ, Mochlico, Emetico incandescens hæc hydra in duplicem, triplicem, continuamque Quartanam mutatur Cachexiæ, Scorbuti, Hyderi, Mortis internuntiam.

NIHIL quoque habet periculi exquisita Tertiana, expetenda etiam ad exhauriendum, sistendumque catarrhum, & ad incrementa Adolescentum; prouocanda numquam. Vis eius misso per initia sanguine obtunditur; lacessita Medicamento purgante, vel Larbaso nulli non noxio in duplicem aut continuam Tertianam migrat periculosæ aleæ. Infida & ancipitis exitus quæ ex permixtione bilis ac pituitæ gignitur: diuturnitate suâ deducit ad Marasmum & prauos Abscessus facit. Plus à Comate habet, quàm à Delirio discriminis; & ab ea multi subito & improuiso humorum in caput excursu quasi afflati fulmine periêre. In Quotidianâ quò longior paroxismus, quóue propiùs ad continuam acceditur, eò periculi plus est. Lento igne humorem primigenium depopulatur excrementorum ferax, Lethargi, Leucophlegmatiæ, Tabis parens. Degenerat facilè in Assiduam neglectu venæ sectionis, aut calidiorum præsidiorum intempestiuâ vsurpatione. Nemo tam securus sit Intermittentium vt salutem semper polliceatur. Quæ blandissima & tutissima intermissionis nomine putabitur, admisso errore, viscerum impotentiâ, translatione symptomaticâ, aut latente alio corporis vitio fatum accelerat.

Ergo non omnes Febres quæ intermittunt, securæ periculi.

Proponebat Lutetiæ MICHAEL DE LA VIGNE, Parisinus, A.R.S.H. M.DC.L.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Nicolaus Richard.	*M. Petrus Yuelin* M. R.	*M. Nicolaus Henaut.*
M. Petrus Mercier.	*M. Mathurinus Deniau.*	*M. Ioannes de Gorris* M. R.
M. Claudius Guerin.	*M. Franciscus le Vignon.*	*M. Renatus Chartier* M. & P. R.


F.M.P. BIBLIOTHÈQUE